AUGUSTINUS

Admont, Mitte 12. Jh. Seite 169v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26830
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Lib

uidebimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis facies. non dice
ret idem apostolus. nos autem reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem ima
ginem transformamur de gloria in gloriam. tamquam ad domini spiritum. nec aliter intelligi
mus quod in psalmo canitur. accedite ad eum et illuminamini. et facies uestre
non erubescent. Fide quippe accedit ad dominum quam cordis constat esse non cor
poris. sed quia spiritale corpus nescimus quantos habebit accessus. de re
quippe inexperte loquimur. ubi aliqua que aliter intelligi nequeat diuina
rum scripturarum non occurrit et succurrit auctoritas. necesse est ut
contingat in nobis quod legitur in libro sapientie. Cogitationes mortalium
timide. et incerte prouidentie nostre. Ratiocinatio quippe illa phyloso
phorum qua disputant ita mentis aspectu intelligibilia ~~per corpus. nec corpo
ralia~~ uideri. et sensu corporis sensibilia id est corporalia. aut hec intel
ligibilia per corpus nec corporalia per ipsam mens ualeat intueri si posset
nobis esse certissima. profecto certum esset per oculos corporis etiam spiritales
nullomodo posse uideri dominum. Sed istam ratiocinationem et uera ratio et prophetica
irridet auctoritas. Quis enim ita sit auersus a uero ut dicere audeat
dominum corporalia ista nescire. Numquid ergo corpus habet per cuius oculos
posset ea addiscere. Deinde quod de propheta heliseo paulo ante dixi
mus. nonne satis indicat. etiam spiritum non per corpus corporalia posse cerni.
quando enim seruus ille munera accepit. utique corporaliter gestum est. quod ta
men propheta non per corpus sed per spiritum uidit. Sicut enim constat uideri corpora spiritu.
quid si tanta erit potentia corporis spiritalis ut corpore uideatur et spiritus. Spiritus
enim est deus. Deinde quidem uitam suam qua nunc uiuit in corpore et hec
membra uegetat. facitque uiuentia interiore sensu quisque non per corporeos
oculos nouit. aliorum uero uitas cum sint inuisibiles per corpus uidet. Nam
unde uiuentia discernimus a non uiuentibus corpora. nisi simul cor
pora uitasque uideamus. quas nisi per corpus uidere non possumus. uitas
autem sine corporibus corporeis oculis non uidemus. Quam obrem fieri
potest ualdeque credibile est. sic nos esse uisuros mundana tunc corpo
ra celi noui. et terre noue. ut dominum ubique presentem et uniuersa etiam cor
poralia gubernantem per corpora que gestabimus et que conspiciemus qua
quaquersum oculos duxerimus clarissima perspicuitate uideamus. non sicut
nunc inuisibilia dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. per speculum in
enigmate ex parte. ubi plus in nobis ualet fides qua credimus. quam rerum
corporalium species quam per oculos uidemus corporales. sed sicut homines inter
quos uiuentes motusque uitales ex serentes uiuimus mox ut aspicimus
non credimus uiuere. sed uidemus. cum eorum uitam sine corporibus
uidere nequeamus. quam tamen in eis per corpora re[illegible]mota omni ambiguitate